

posse explicari ait: *de actu, b. m. non crediderunt.* O judicii ecclipsin! Verba enim Versus 37. *Non crediderunt*, & verba Versus 39. *Non poterant credere*, non æqui pollentia, sed sunt distincta, quæ Johannes *ὡς αἰτεῖ ἐν φάσει* voluit annotare in æternum Judæorum dedecus, quod nec crediderint, dum potuissent per DEi gratiam credere, nec sua culpa deinde credere potuerint, gratia DEi ex justo judicio privati. Locus ex Marc. 6. 5. ad interpretationem Niehenckii æq; ac baculus ad angulum quadrat. Ratio est, quod Matthæus *Cap. 13. 58.* non explicet Marcum, sed Marcus & Matthæus utrumq; testantur, Alter actum, quod non ediderit miracula, & alter, quod ea edere non potuerit ob Judæorum obstinatam incredulitatem, cujus remotio passiva alias esse debeat finis Miraculorum, adeo, ut illud *non posse* tum fuerit limitatum, non absolutum. Quæ impietas est τὸ ἀδύνατον Ebr. 6. 4. evertere per τὸ difficile, ea & hæc ipsa est, *ἐκ ἠδύνατο*, pervertere, ut sit: *Non crediderunt.* Hanc Sophisticam *σπεβλόγησα* in Ittigio, D. Rechenbergius jam notavit & confutavit.

Quartum est, quod distinctionem inter gratiæ Oblationem & Col-
lationem in Regno gratiæ applicare nescit. Oblatio enim gratiæ, etsi sit universalis, atq; ita etiam ad Induratos spectet, quaritur tamen, an adhuc, ubi completa est induratio & consummata, tales Induratos comitetur, cum quibus Deus non amplius agit secundum Voluntatem antecedentem gratiæ, cujus est oblatio universalis, sed secundum consequentem, cujus est subtrahitio gratiæ & desertio totalis? Nos hoc negamus, freti scripturæ locis, quæ Dn. D. Rechenbergius repetiit contra Lubecenses in *præfatione scripti M. T. K. contra D. Krakewitz p. 25.* Confer doctissimi Lichtscheidii *Friedens-Mittel* Lubecensibus adversariis oblata, cum *Præfat. D. Rechenb.* ubi applicatio istius Distinctionis orthodoxa ostensa fuit.

Quintum est, quod paraphrasin *D. Sebastian. Schmidii* ad Joh. 12. 39. 40. admittere nolit novus scilicet interpretes musteus. Si hanc repudiat, forte D. Æg. Hunnii expositionem a D. Rechenb. in *Consens orth.* p. 19. allegatam non rejiciet.

Confundit in sua *ἀσυνλογισία* induratos, qui adhuc oblationem gratiæ habent, & quibus jam oblata fuit. Audeas Censor repudiare gratiam Principis sui, idq; actu continuo; num eandem semper sibi oblatum iri credit? Tentet semen in terram projectum actu continuo conculcare pedibus; num progerminaverit, quod tamen in se est vivum?

γ.] Utimur loco, 2 Cor, II, 16. ex quo ita arguit Niehenckius:

Quod